

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XIX. De scholare bono amente facto.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

XIX. DE SCHOLARE BONO AMENTE FACTO.

VI. 11. SCHOLARIS quidam bonæ conversationis et Deo devotus, et mihi secundum carnem consanguineus, permissione Dei et dispositione ejus occulta, amens et expers rationis effectus est; et sic sine sensibus et intellectu usque ad extrema vitæ suæ tempora perduravit. Cogitaveram ipsum Religioni et divino famulatui coaptare; ideo super hoc eventu fui intime perturbata. Oravi Dominum pro ipso, et respondit mihi Dominus: « Dico tibi ego Deus ardens et homo vivens, quod ipsius natura sanctorum morte defuncta est, ita quod nunquam amodo peccabit mortaliter in hac vita. » Tunc ipse visus est mihi similis prædicatori, stabatque supra columnam marmoream, rubeam, et populo prædicabat dicens: « Venite benedicti Patris mei, et discedite a me maledicti. » Et intellexi ex hoc, quod ex his [duobus] verbis prædicatores omnes prædicant atque docent.

XX. DE SORORE HILDEGUNDE.

II. 20. IN diē sanctæ Barbaræ virginis [Soror Hildegundis suam gloriam recepit; quod ostendit Deus languido cani, qui cum gemitu adhuc sua lambit vulnera]. Cum orarem, nescio an cælum fuerit ad me inclinatum, vel ego rapta sim in admirabilem Dei domum. Et ecce ante thronum Dei Patris stabat soror Hildegundis, ornata tamquam sponsa nova, quam rex adduxit ad regni sui palatia. Tribus erat amicta palliis, septem diademata habens in capite; laudabatur specialiter a choris omnibus Angelorum. Videns, eam cognovi in omnibus donis quæ de divina susceperat largitate; verumtamen delectabar cum [ea] alloqui et interrogare, ut in illa fruitione cum ea diutius possem esse. Et dixi: « Eia, dilecta, unde habes hoc roseum mantellum? » Et respondit: « Martyr fui, igneo cremata amore, quod frequenter cor meum [sanguine] respersit caput meum. » Et dixi iterum ad eam: « Et unde habes aureum